

Christianus LAES

**DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA.
CARMEN NELLI MARTINELLI (1951)**

7

I. DE VITA OPERIBUSQUE NELLI MARTINELLI (1889-1976)

Litteras sive Musas Latinas recentiores ab illo Ioanne Pascoli (1855-1912) initium cepisse sat constat inter viros doctos, cuius inter epigonos sive successores numerantur Alafrius Bartoli (1872-1954), Franciscus Sofia Alessio (1873-1943), Nellus Martinelli (1889-1976), alii numero non pauci. Quorum ultimus, Nellum dico Martinelli, inter illos certe est poetas qui immerito a studiosis sunt neglecti. De vita enim eius, cum multa documenta eaque recentissima adhuc debeant superesse, non multa innotuerunt; carmina autem, quamquam plerumque sunt edita, vix tamen perlecta esse videntur. Horum exemplar, opus dico egregie compositum, hic sum enarraturus, titulo q. e. *Drusus III* a poeta ipso indutum, quo anno 1951 in certamine poetico Hoeufftiano magnam laudem emeruit.¹

Natus est Nellus Martinelli Tuscus in oppido maritimo Viæ Regis [Viareggio] anno 1889, Pisis autem ab anno 1908 in Schola illa Normali Superiore in litteras classicas incubuit. Munus postquam accepit in gymnasiis quibusdam, anno 1924 cathedram quidem linguæ Latinæ obtinuit Valettæ in insula

1. Fere omnia scitu digna et nota ad Martinelli quæ pertinent, collegit Sacré (2019a) et (2019b). Utiliter res congegisset Reitz-Joosen (2022). Compendium quod litteras Latinas recentiores tractat atque in quo Martinelli tractatur, est Giustiniani (1979) 59-62.

- 8 Melitensi, ubi per tres docebat annos. Est hoc tempus Melitense nobis sat bene notum variis ex documentis, e quibus apparet Martinelli fuisse doctorem accuratissimum, animo quidem molliore, melancholico necnon ad ægrotudines propensiore, quippe qui sæpe etiam studiosorum molestiis perturbaretur.² Melitam iam anno 1927 reliquit, postea autem variis in gymnasiis docuit, cum interdum professoris academici munus susciperet Panormi ac Romæ. Poemata Latina longiora pangere solebat, verum etiam Musis Græcis, oratoribus atque poetis Latinis (inter quos Lucretius atque Claudianus sunt nominandi) studere non omittebat et Italice et Latine. Apud Tuscos suos in oppido Marmoriorum [Forte dei Marmi] anno 1976 senex terrenam vitam reliquit.

Opus quidem eius poeticum bipertitum esse videtur, cum in priore vitæ parte res præsertim recentiores exprimere sit conatus, posteriore autem res Romanas pangere perrexerit. Statim post primum bellum mundanum in poematis q. t. *Reditus ad Musam* et *Alma Poesis* se Camenis Latinis servitutum esse profitebatur iuvenis poeta; anno 1926 distichon elegiacum *Nocti* (28 versuum) poetam ostendit angustiis et anxietate vexatum, cui noctes sæpe erant inquietæ, dies autem melancholia pleni.³ Anno 1931 carmen illud *In memoriam* 336 hexametrorum divulgavit Martinelli, in quo insons quidam primo bello mundano cædis accusatus mortis est condemnatus, cum

2. Martinelli quomodo Melitæ vitam egerit, dilucide atque fontibus nixus illustrat Serracino (2018) 229-233.

3. Sacré (2019b) 13.

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

reus in terras externas aufugisset multosque tantum post annos in ipso articulo mortis crimen sacerdoti confessus esset. Qui sacerdos cum familiam repperisset, frustra se iter fecisse cognovit: matre enim insontis mortua, nemo ex eius propinquus erat relictus. Quod poema iam duobus annis ante Amstelodamum miserat Martinelli. Iudices tamen certaminis Hoeufftiani, quamquam elocutionem dispositionemque magni æstimabant, carmen haud præmio esse honestandum censuerunt.⁴ Alterum longius carmen, 611 nempe versuum, *Amba Alagia* quod vocatur et anno 1941 in lucem editum ab hodiernis moribus politicis vel maxime distat. Ætatem scilicet fascium prorsus redolens Anglos, Americanos, Francogallos increpat, Iudæos ut totius orbis terrarum traditores condemnat, Æthiopes autumnat dignos esse qui sub Itolorum dominatione serviant.⁵ Tertium, idque ultimum prolixius poema 238 versuum anno 1948 ad iudices Amstelodamenses misit poeta noster, *Johannis Pascoli nocturna meditatio*, quam magistri et exempli laudationem sat diverse iudicaverunt censores. Versionem autem amplificatam 396 versuum anno 1949, titulo q.e. *Epicedion* divulgavit Martinelli – opus dico plane Ovidianum, in quo poeta nunc de morte suæ ipsius matris meditatatur.⁶

Est id quidem initium alterius poetici cursus, via certe ad astra

4. Sacré (2019b) 13-14.

5. Sacré (2019b) 14-15. Cuius carminis enarrationem annuntiavit Reitz-Joosse (2022).

6. Sacré (2019b) 15-16.

10 Hoeufftiana, cum poeta noster ter quattuor annis a iudicibus certaminis Amstelodamensis sit coronatus. Anno 1950 carmen *Valentinianus II*, 362 versuum, præmio aureo est ornatum. Dirum scilicet fatum huius imperatoris (371-392) qui quattuor annos natus nomine tantum regnabat, ultimisque vitæ annis duro dominio Arbogastis, usurpatoris Franci, tenebatur expressis verbis describitur. Videt se ipsum iuvenis imperator in somno, letale vulnus accipientem atque ultimum spiritum ducentem cum bracchia ad matrem protendat – mane revera mortuus esse apparet. Ambigitur debitumne naturæ reddiderit, manumque sibi ipsi attulerit an Arbogastis manu mortem invenerit, quæ cædes a poeta Martinelli proposita a veritate non abhorret.⁷ Iam anno post, carmen *Drusus III* de quo hic sum tractaturus, magnam laudem emeruit;⁸ duobus elapsis annis illud *Carmen et Error*, longissimum omnium quæ composuit (654 versuum) de exilio Ovidiano iterum magna laude Amstelodami est ornatum.⁹ Quod ad alterum carmen Ovidianum pertinet, *Obitus Nasonis* (382 versuum) in certamine Hoeufftiano anni 1958 nullam quidem palmam tulit ac sic sub pulvere archivorum latuisset, nisi anno 1974 in periodico c.t. *Latinitas* esset divulgatus.¹⁰

7. Sacré (2019b) 16-17.

8. Sacré (2019b) 17-19.

9. Sacré (2019b) 19-43.

10. Sacré (2019a).

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

2. DRUSUS III: DE ARGUMENTO

11

Germanicus, Tiberii fratris filius, cum anno 4 p.C. suadente Augusto ipso, matrimonio Agrippinæ, neptis scilicet imperatoris, esset coniunctus, viam ad summum imperium sibi præparare videbatur. Pater enim Drusus iam anno 9 a.C. vita in expeditione militari erat functus, atque Tiberius, qui filium nomine etiam Drusum habebat, eum adoptaverat, iubente iterum imperatore ipso. Germanici atque Agrippinæ coniugium procul dubio fertilissimum erat: novies peperit Agrippina, septem liberi pericula primæ infantia superaverunt.¹¹ Rupem Tarpeiam non longe abesse a Capitolio nemo sane est qui ignoret – casus certe Germanici familiae erant diri. Pater ipse Antiochiæ in Syria mortem obiit suspectam; vidua Agrippina imperatori Tiberio strenuo resistebat, dum exul in insula Pandataria fame confecta ultimum spiritum effunderet. Idem fere exilium filio maiori, Neroni Iulio Cæsari, contigit, qui sibi ipsi ultimam manum imponere erat coactus. Frater minor, Drusus noster tertius qui vocatur, Romæ detentus crudelem mortem obiit duobus annis post. Cædes imperatoris Gaii Caligulæ necnon Agrippinæ Minoris, matris scilicet Neronis imperatoris, omnibus procul dubio innotuerunt. Bis adulterii

11. Hic licet afferre locum hunc: Suet. Calig. 7: *Habuit in matrimonio Agrippinam, M. Agrippæ et Iuliæ filiam, et ex ea novem liberos tulit: quorum duo infantes adhuc rapti, unus iam puerascens insigni festivitate, cuius effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit, Augustus in cubiculo suo positam, quotiensque introiret, exosculabatur; ceteri superstites patri fuerunt, tres sexus feminini, Agrippina, Drusilla, Livilla, continuo triennio nata; totidem mares, Nero et Drusus et C. Cæsar.*

- 12 accusata, totidem relegata est Iulia Livilla, cuius etiam mors erat violenta. Tantum Iulia Drusilla, soror quam Caligula in deliciis habebat, morte immatura debitum naturæ reddidit, quæ postea in divos accepta Panthea nominabatur.¹²

Antonia Minor x Drusus								Tiberius
Germanicus (15 a.C. - 19 p.C.)		Livilla						Claudius
x								
Agrippina Maior (14 a.C. - 33 p.C.)								
Nero - Drusus - puer ignotus - Gaius (Caligula) - Agrippina - Drusilla - Livilla								
(6-31)(7-33) (?) (12-41) (15-59) (16-38) (18-42)								

3. ACTUS PRIMUS (V. 1 - 30A) : DESCRIBITUR SCÆNA

Fragmentum huius actus primi duabus de causis integrum hic excripsi, primum quod lector sic in medias res mirifica illa arte scribendi quasi immergitur, deinde quia urbs Roma primas partes agit. Ita redolet hæc scæna artem cinematographi-

12. Hoc in conexu vix utile esse videtur plura opera docta enumerare, quæ de Germanici familia congessere viri docti per plus quam centum iam annos. Quæ omnia facile inveniuntur in encyclopædiis sicuti in illo *Der Neue Pauly. Enzyklopädie der Antike*. 21 vol. (Stuttgartiæ, 1996-2003) vel in illo *Oxford Classical Dictionary* (Oxoniam, 2012⁴). Ceterum, Martinelli (1951) 32 in conspectu fontium et locorum indicat quos auctores quæve opera docta perlegerit.

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

cam ut quasi initium sat lugubre pelliculæ ante oculos evolvi
videamus. Primo totius Urbis conspectus nocturnus præbetur, 13
dein regia illa in colle Palatino quæ supereminet Forum
Romanum. Camera tunc ad partem quandam Fori se vertit:
ædes Vestales nunc ante spectatorum oculos, iuxta Tiberi
domum. Est illic quidem ingressus angustus, obscurus ac qua-
si antrum, ad quem nunc nos spectatores attrahimur. Militem
tunc oculis sequimur, qui ianuam aperit subitoque iterum
claudit. At ecce, in obscuritate puerum vix agnosceres, flavis
capillis macieque confectum, qui nunc ex lectulo humili sur-
git, militemque anxius alloquitur. Nunc saltem spectatores
intellegunt qui sit: «hic ille est»,¹³ Drusus scilicet Germanici
filius. Ceterum, Drusum in Palatio esse detentum ex Tacito
compertum habemus; quo autem in loco, exstiteritne revera
quasi carcer in proclivitatibus Palatinis, ædes Vestales et Tiberi
palatium inter, valde ambigitur, cum etiam archæologis
hodiernis vix constet quæ fuerint ædificia ea in regione ubi
nunc ecclesia Sanctæ Mariæ Antiquæ invenitur.¹⁴ Utut id est,
alludit hic Martinelli themati Iohannis Pascolii, cuius *Iugurtha*
epyllion (1896) integrum in carcere Mamertino evolvitur.¹⁵

Mersa iacet densis tenebris urbs alta Quirini : 1
lumina rara micant : procul alta silentia rumpunt
interdum rauco stridentia plaustra fragore

13. Plaut. *Trin.* 43; Cic. *Fam.* 13, 15, 1; Sil. *Pun.* 13, 763.

14. Tac. *Ann.* 6, 23 (nam in Palatio attinebatur). De loco inter ædes Vestales atque proclivitates collis Palatini, vide Coarelli (2007) 77-78.

15. Sacré (2019b) 17.

ROMA RECENTIOR ATQUE RECENTISSIMA – CHRISTIANUS LAES

14 et tardis minitans iumentis clamor et ira,
 vel fictæ iuvenum rixæ et convicia multis 5
 mixta iocis, placidæ pestis vesana quietis.
 At procul ut strepitus paulatim evanuit, altis
 omnia muta silent tenebris somnoque sepulta.
 Regia se attollens moles sublimis ad auras
 colle Palatino mediam supereminet urbem, 10
 marmoreisque fori templis nitidisque columnis,
 pallida quas feriunt errantis lumina lunæ
 (discite triste omen, cives!) nigra imminet umbra.
 Hic, prope sacratas castis Vestalibus ædes,
 dives ubi Tiberi domus ardua mœnia pandit 15
 ima iacens, solido clivosus pariete trames
 prælongi antri instar, prælongo fornice tectus
 (sed patulæ lumen fundunt utrimque fenestræ)
 datque aditus adimitque superba ad limina regum.
 Segniter hunc scandit densa galeatus in umbra 20
 miles et ad clausam cellam vestigia sistit,
 ostiaque ingreditur reserans reserataque claudit.
 Mersa iacet tenebris atque alta cella quiete.
 Ast humili quidam recubans parvoque grabato
 exsilit ex umbris et: «Quid vis?» anxius instat. 25
 Aspicere hunc si quis posset sub luce diurna
 corpore tum staret celso flavoque capillo
 ante oculos iuvenis macie confectus et ore
 exsanguis mire pallens, miserandaque cultu
 larva viri. Hic ille est (...) 30

Est id sane fragmentum allusionibus scriptorum antiquorum repletum: descriptio scilicet urbis quadam ex parte Iuvenaliana (v. 2-8; in septimo versu diæresis animadvertitur

post pedem quintum),¹⁶ verborum iuncturæ etiam in fine hexametrorum ex auctoribus notissimis depromptæ.¹⁷ Rhythmum quidem hexametricum ad unguem callet poeta: animadvertite, quæso, lectores, quomodo versibus 10 et 11 tristis quædam maiestas palatii verbis quinque syllabarum exprimatur,¹⁸ quomodo etiam versus 17 spondæis lentis iisque continuis duabus quidem elisionibus lectores inter spem metumque suspensos teneat.

4. ACTUS SECUNDUS (v. 30B-77): QUÆ ANTEA SUNT ACTA

Hunc ipsum puerum una cum fratre Nerone olim a Principe Tiberio senatus tutelæ esse commendatum statim comperimus: genitorem enim Germanicum in ipso articulo mortis illos pueros supremo honore signavisse (v. 30b-36). Ast nunc dira mutatio rerum Germanici familiares obruit, cum Tiberius senex otia Capreæ ageret, Seianusque eques Romæ sæviret, «divomque hominumque / contemptor» sicuti a Martinelli

16. Iuv. Sat. 3, 256 (de plaustris); 3, 282 et 288-289 (de rixis sæpe sine causis); 3, 316 (de iumentis).

17. V. 4: clamor et ira (= Hor. Carm. 3, 8, 16); v. 8: somnoque sepulta (cf. Enn. Ann. 8, 288 ed. Skutsch et Lucr. 5, 974: somnoque sepulti); v. 9: ad auras (= e.g. Verg. Æn. 2, 699 et sæpissime apud Vergilium aliosque); v. 13: imminet umbra (= Verg. Æn. 1, 165); v. 19: limina regum (= Verg. Æn. 2, 504); v. 29: miserandaque cultu (= Verg. Æn. 3, 591).

18. Eadem positione, pede scilicet quarto et quinto, apud Verg. Æn. 1, 504; 6, 856; 10, 765 et apud Ov. Met. 3, 182; Trist. 1, 2, 49.

16 vocatur (v. 39-40).¹⁹ Erat id tempus infame coniurationum, cum multi perduellionis accusarentur, quas condiciones aptissime, mea quidem sententia, poeta constrinxit uno hoc versu, quamquam duram elisionem admiserat in pede quarto :

fata sibi properant, properet ne in carcere tortor 48

De fati matris atque fratris Neronis certiores fimus versibus his :

(...) Excipit Agrippinam
 præruptis scopulis tum Pandataria tristis,
 quam mare Tyrrhenum raucis circumsonat undis ;
 Pontia nec procul hinc fratrum Circæa Neronem 55
 maiorem clausit, (...)

Quem fratrem Neronem mortem sibi ipsi obscurasse etiam comperimus. Tres iam sunt elapsi anni, dum misera captivitas Drusum tenet – neque potuerat Tiberi animam mutare ruina Seiani (v. 56-71). Obduruerat enim cor imperatoris post divortium invitum uxoris carissimæ coniugiumque cum Iulia sibi impositum (v. 72-77) : « series ea primarum » (v. 77).²⁰

19. Enn. Ann. 8, 284 (ed. Skutsch), cf. etiam Lucr. 1, 1 (hominum divomque voluptas).

20. Lucan. Bell. Civ. 4, 93 ; Val. Flac. Argon. 7, 37.

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

5. ACTUS TERTIUS (v. 78-133A) : DE MILITE SATIS BENIGNO

17

Versibus quibus summam pangendi artem demonstrat – flexibilem notate quæso ordinem verborum – ad Drusum, militem, carcerem lectores revocat Martinelli :

At lutea gelidæ lecti prope quænea fulcra 78
urna miles aquæ posita, suspensus inhæsit.

Depingitur miles ille, duram militiam expertus, qui nunc tamen puerum fame oppressum cum aspiciat, animo commovetur (v. 80-89). Sequitur primus dialogus, vita plenus, quo genere sermonis plura etiam Martinelli poemata insigniuntur. Expedite atque volubiliter verba quasi ex poetæ calamo effluere videntur, unde cæsurae etiam paulo liberiores (ut diæreses post quintum pedem versibus 90, 97, 104, 105 ; post quartum pedem versus 107). Resonant iterum auctores antiqui iique notissimi.²¹

«Quid vis? – Drusus ait – Vin' tu me occidere, tortor?» 90
Nec mæsto capitis nutu tacito ore negantem
ille videt. «Mortem si fers, si pectore amico
forte aliquem servas pietatem, da mihi ferro
accingi hanc dextram miseramque abrumpere vitam.
An crudelis avus laqueo me occidere iussit? 95
Miles at es, video : laqueus non milite dignus

21. V. 94 : *abrumpere vitam* (= Verg. *Æn.* 8, 579 et 9, 497) ; v. 100 : cf. Cic. *ad Att.* 9, 10, 3 (*dum anima est, spes esse dicitur*).

18 nec Druso, at gladius. Gladium mihi porrige, miles! »
 Ille his: «Tolle animos fidens! Non tortor ego nec
 te quisquam laqueo gladiove occidere iussit.
 Spem refove: dum vita manet, spes semper alenda est». 100
 Cui Drusus: «Si mors, igitur, si mors mihi nondum
 decreta est, cur iam decimum mihi ianua solem
 non patuit, cur pauca negantur frustula panis?
 Anne fame Drusum certumst absumere? Nec tu
 heu crustam panis misero mihi porrigis?» Anceps 105
 vir bonus et iuvenem miserans percussus inhæsit:
 dein: «Modo me expectes paulum, precor», inquit et exit.
 Inde redit nigri cum massa panis adusti.

Parcis his dapibus Drusus iam avidis dentibus hæret, dum
 militi gratias persolvit pro dono atque auxilio. Quem etiam
 interrogat de matre: utrum illa viva supersit necne prorsus
 ignorat, quam sæpe tamen in somnis suis viderit (v. 109-
 133a) – en iterum thema vere Pascolianum atque, si licet uti
 vocabulo, Martinelliano.²²

6. ACTUS QUARTUS (v. 133B-184): DE CENTURIONE TRUCULENTO

Subito autem abrumpitur sermo, milesque immobilis hæret:
 apparet enim quem maxime inter omnes timebat. En compa-
 ratio, quam ab Homero sive Vergilio esse conscriptam facile
 crederes (vide inter alia Verg. *Æn.* 7, 751-756):²³

22. Sacré (2019b) 17. Conferatur illud Pascolii, *Thallusa* 191-192 atque
 Martinelli, *Valentinianus II* 345-349.

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

(...) forte ut si quis calcaverit anguem 19
 quem bicolor texit myrtus tenuesque myricæ
 emicat ille ardens linguaque tricuspide vibrans 140
 sibilat ore minax: gelido terrore viator
 vertere terga timet properat nec tendere porro
 immotusque hæret magico ceu carmine vinctus.

Causa timoris explanatur statim post:

Centurio ante illum, vir magno et corpore celso,
 terrifico ore minans oculis micantibus igne,
 Attius en adstat, nodosa vite verendus.²⁴

Cuius Attii nomen etiam apud Tacitum apparet (Tac. Ann. 6, 23-24). Qui statim ferociter et verbis et verberibus in militem invehitur, cum ille mandata non sit persecutus. Eandem fere asperitatem Druso exhibet, cuius miseria vix commovetur (v. 147-164). Mandata se tantum persequi confirmat, eodem fere modo atque ille centurio qui in Obitu Nasonis se culpa absolvit:²⁵

23. Resonant etiam hi loci Ovidiani: v. 139: *bicolor ... myrtus* (cf. Ov. Met. 10, 98); *tenuesque myricæ* (= Ov. Met. 10, 97); v. 140: *tricuspide* (Ov. Met. 1, 330: *tricuspide telo*).

24. Cf. Iuv. Sat. 8, 247: *nodosam post hæc frangebatur vertice vitem*. Alicuius momenti est etiam illud Arri Nuri (1909-1979) in Supplemento suo Iuvenaliano, versu scilicet 117: *Cum Geta centurio nodosa vite decorus*. Cf. Laes (2017) 776.

25. Martinelli, Obitus Nasonis 23-24: (...) *doleo, sed iussa severa / exsequor invitus*. Cf. Sacré (2019a) 35-36.

20 Ast ille impatiens : « Ex me ne talia quære :²⁶ 165
miles, quæ iubeor, facio, neu plura require. »

In eo est ut iuvenis Drusus centurionis gladium e vagina detrahat ut sibi ipsi mortem obsciscat fratremque Neronem sequatur. Statim autem accurrunt custodes militesque furem qui retineant (v. 167-178). Actionis velocitas necnon duritia aptissime exprimitur et dactylis et sonis qui sunt k in versibus his :

contra obluctantem triste in conclave repellunt
calcibus ac pugnīs, dum toto corpore pronus 180
corrui exanimusque iacens immobilis hæsit.
Concrepuere fores et ahenā repagula strident :²⁷
tum caligæ in clauso graviter sonuere recessu
et micat extremum tremulum vix lumen in umbris.²⁸

7. ACTUS QUINTUS (v. 185-227) : DE SOLITUDINE

Scin, carissime lector, quomodo tædium summaque solitudo in captivitate poetice possit exprimi? Lege, quæso, versus hos :

26. Iunctio quæ est ne quære sæpius apud Vergilium invenitur (e.g. *Æn.* 6.868 et 8.532).

27. Cf. Pascolius, *Iugurtha* 4: *Stridula compactis crepuere repagula valvis* et 63: *Auscultat: quid? nonne fores crepuere?* (...)

28. V. 180: *immobilis hæsit* (= *Sil. It. Pun.* 17, 25); v. 184: cf. *Ov. Her.* 18, 59: *luna fere tremulum præbebat lumen eunti*).

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

Omnia sunt eadem semper : non dulcis ad aures 21
 vox umquam miseri solantia verba susurrat :
 non ullus de hominum vita carisque propinquis 190
 nuntius affertur (...) ²⁹

De ieiunio ventris doloribusque corporis vis plura comperi-
 re? Legas quæ scripsit Martinelli versibus 195-205. ³⁰ De desi-
 derio mortis, cuius condicionem dis superis paulum tantum
 mutare conceditur? Ecce :

nec vestra ipsa potest fata immutare voluntas, 215
 vos prohibete feris tot me cruciatibus angi
 et placidæ saltem liceat succumbere morti.
 Exiguam fas sit morituro optare quietem !

De falsa ille rerum imaginatione sive alucinatione, qua, ut
 asseverant medici, illi afficiuntur qui continua atque diurna
 fame exstinguantur, en quod iterum aptissime enarrat

29. V. 188 : vide etiam Lucr. 3, 945 (quod placeat, nihil est; eadem sunt omnia sem-
 per); v. 188-189: vide Ov. Her. 18, 79 (nullaque vox usquam, nullum veniebat ad
 aures); v. 190 : carisque propinquis (= Hor. Serm. 1, 1, 83 et Pers. 3, 70).

30. Sunt et hic resonantiæ Pascolianæ. Cf. v. 203-204 : (...) guttis / desuper
 in numerum semper labentibus æque et Pascolius, Iugurtha 78-79 : (...) ecce per
 umbram / putrida prorupto singultu gutta cadebat. De sopore diu optato agitur in
 versibus 197-199 atque apud Pascolium, Iugurtha 44-46 de somno diutur-
 no. Ceterum, in conspectu fontium indicat ipse Martinelli se legisse quæ
 in encyclopædiis reperiuntur « de morte per famem (siti non adiuncta) » :
 Martinelli (1951) 32.

22 Martinelli :³¹

Frigore sanguis hebet confecta et corpora languent³²
 mens intacta viget. Procul evanescit in auras³³
 quicquid adest : quicquid iam procul abstulit ætas,³⁴
 ante oculos iterum præsens vivumque tuetur.

8. ACTUS SEXTUS (v. 228-316) : DE GERMANICI TRIUMPHO

Drusi alucinantis anima ad annum 17 p.C. revocatur, cum Germanicus Cæsar ante diem VII kalendas Iunias triumphavit. Sobrie ac verbis parcis, iisque brevibus, Tacitus spectaculum describit : trium nationum quæ usque ad Albim colunt nomina dat, addit spolia, captivos necnon simulacra vecta esse. Familiam etiam Germanici in ipso curru commemorat ; animadvertit favorem populi Romani eheu esse brevem.³⁵ Quæ

31. Pascolius, Iugurtha 55 : Dira fames vigilisque necant ieiunia ventris.

32. Verg. Æn. 5, 396 : sanguis hebet, frigentque effetæ in corpore vires (de senectute scilicet).

33. Sil. Pun. 1, 179 : mens intacta manet.

34. Idem versus finis apud Mart. Ep. 11, 69, 7.

35. Tac. Ann. 2, 41 : C. Cælio L. Pomponio consulibus Germanicus Cæsar a. d. VII. Kal. Iunias triumphavit de Cheruscis Chattisque et Angrivariis quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt. Vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, præliorum ; bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. Augebat intuentium visus eximia ipsius species currusque quinque liberis onustus. Sed suberat occulta formido, reputantibus haud prosperum in Druso patre eius favorem vulgi, avunculum eiusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra iuventam ereptum, brevis et infaustos populi Romani amores.

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

omnia verbis ac versibus quam amplis tam elatis expressit
 Martinelli, ut eos pæne invidia afficeret qui triumphos
 Romanos operibus doctis summa cum animi attentione per-
 scrutavissent.³⁶ 23

Imprimis de pompa Sacra Via vecta, cui inhiat vulgus stupens
 avidis oculis (v. 228-269). Arrisit mihi versus hic, qui totius
 rei solemnitatem spondæis apte expresserit :

Incedit lento gressu longo agmine pompa 239

Pictis tabulis quibus loca ignota et prælia mira arte redduntur
 imprimis gaudent spectatores, quibus ex descriptionibus patet
 Martinelli Tacitum perlegisse,³⁷ cum omnia barbara hæc
 nomina in prioribus Annalium libris commemorantur.³⁸

Hic virides Lupiæ ripæ Marsique rebelles 245
 Tamfanæque æquata solo celeberrima templa ;

36. Beard (2009) est liber ditissimus triumphis Romanis qui studet.

37. Ex versu 263 (*deserit Arminius: trepidum rapit ungula regem*), cuius rhythmus in memoriam vocat Verg. *Æn.* 8, 596 (*quadripedante putrem sonitu quatit ungula campum*) comperimus agi de imaginibus tantum, cum Arminius ipse in Germania supremum diem obierit (Tac. *Ann.* 2, 88), ac numquam Romam sit transportatus.

38. Exempla affero hæc: Lupia fluvius [Lippe] apud Tac. *Ann.* 2, 7 ; Marsi atque Chatti in Tac. *Ann.* 2, 25 ; dea Tamfana atque eius templum solo æquatum apud Tac. *Ann.* 1, 51 ; mons Tauni atque Chatti in Tac. *Ann.* 1, 56. De Varo sibi ipsi ultimam manum imponenti, vide Tac. *Ann.* 1, 61.

24 hic iuga nigrantis Tauni Chattique superbi
 et formidatæ Romano a milite silvæ
 quæ Vari infandam cladem stupuere ducemque
 ultima frustra ausum proprio procumbere ferro. 250

Verum etiam placent spectatoribus Romanis monstra atque
 spectacula viva quæ ea in pompa ostenduntur : sacrificia scilicet
 stupenda centum iuvenorum (v. 270-275), captivi horum
 quidem animalium quasi consortes, qui suam miserrimam
 sortem præ se ferentes tristes procedunt.

Hos quasi fatorum socii luctusque futuri,
 infelix agmen, captivi pone sequuntur,
 induti bracas, ferrata compede vincti,
 corpore squalentes, quorum tamen eminent ore
 impatiensque iugi feritas et conscia virtus. 280
 Miratur vulgus præsentia corpora mole
 oraque cæruleis oculis flavoque capillo,
 nec forma indecores laudat : simul intima tangit
 corda dolor sortemque hominum miserantur iniquam.³⁹

Talia spectacula esse ambigua, quippe cum primo crudelitatem
 exhibeant atque inhumanitatem adversus devinctos
 demonstrent, deinde etiam misericordiam quandam provo-
 cent eorum spectatorum qui se ipsos talia perpeti posse men-

39. V. 279 : eminent ore (cf. Val. Flac. Arg. 5, 367 : supereminent ore) ; v. 280 : conscia
 virtus (= Verg. Æn. 5, 455 et 12, 688) ; v. 284 : miserantur iniquam (= Verg. Æn.
 12, 243).

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

te confingant historici hodierni sat superque demonstraverunt, quas ad rationes accedit etiam hæc dominatio quasi imposita: sic agamus ne nos ipsi talia patiamur!⁴⁰ Hæcine omnia repugnantia nonne subtiliter expressit poeta noster?

Sed oportet iam transire ad totius spectaculi maiores actores, quibus ingens clamor plaususque exoriebatur (v. 285-316): Germanicum Cæsarem ipsum in curru eburno eiusque liberos. Ecce, quomodo Martinelli hiatu quodam docto necnon correptione vocalis usus sit in quinto hexametri pede versus 293, tmesi etiam in versu sequenti:

En dux. Tum clamor geminatus «Io, io» alte 293
editur et concors huic plausus, «Io» que «triumphe».⁴¹

Simili fere modo animos tangunt Cæsaris filii: Nero, undecim annos natus; Drusus decennis; Gaius vix quinquennis, alius fortasse puerulus – ad quos accedit etiam Agrippina, puellula duorum annorum.⁴² Ast ipsum iterum audiamus Martinelli, vel potius Drusum somniantem. In memoriam nobis revocat ultimus versus tristem illam ultimam Taciti sententiam, de populi favore quæ conqueritur (cf. nota 35).

40. Ne plura, hunc saltem librum citabo: Uzzi (2005).

41. Pascolius, *Iugurtha* 13: et clamor geminatus «io io» et pede tellus. Cf. etiam Hor. *Carm.* 4, 2, 49-50: teque, dum procedis, io Triumphe! / non semel dicemus, io Triumphe!

42. V. 309-310 Martinelli fortasse non ita recte animo concepit quinque fratres fuisse; Tac. *Ann.* 2, 41 (cf. nota 35) quinque liberos citat, quos inter una certe filiola adesse debebat.

26 «Druse! ... Nero! ... Gai! ...» Quis nomina nota vocavit
 e media populi turba? Nunc lumina vertit
 Drusus vulgi oculos oculis simul ipse secutus
 seque ipse agnoscit pueris cum fratribus una
 quatuor adstantem magni genitoris in ipso 310
 aurato curru, fausto clamore beatum.
 Hic prætextatus puer est nempe ipse salutans
 parva iam plebem dextra vultuque paterno
 leniter adridens. Pauca heu quis frustula panis
 dat modo, Druse, tibi caro genitore perempto? 315
 Heu vani fastus et inanis gratia vulgi!⁴³

9. ACTUS SEPTIMUS (v. 317-369)

Alia pompa, funus nempe lugubre procedens in Campo Martio nunc ante oculos Drusi nostri alucinantis versatur. Germanici exsequias, nimis simplices, tribus tantum annis post triumphum, postquam in Armenia ultimum diem obiisset (Pisonis veneno an odiis ambigitur),⁴⁴ eiusque corpus crematum e longinquo transportatum capitulis quasi immortalibus depinxit Tacitus (*Ann.* 3, 1-6).⁴⁵ Ex Tacito etiam cognovimus

43. V. 307: lumina vertit (= Ov. *Met.* 5, 545); v. 308: ipse secutus (= Verg. *Æn.* 10, 893 et 12, 301), oculos oculis (= Ov. *Ars.* 1, 573); v. 316: gratia vulgi (= Man. *Astr.* 2, 816).

44. Tac. *Ann.* 2, 69-74, cf. v. 335-336: sive illum infestis odiis atroque veneno / æmulus exstinxit Piso.

45. V. 322-323: Turba silens Martis, facibus lugubre coruscans / percurrit lento gressu longo agmine Campum in mentem revocat illud Taciti, *Ann.* 3, 3: plena urbis itinera, collucentes per campum Martis faces.

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

Drusum secundum, filium scilicet Tiberii, Claudium fratrem 27
 atque uxorem Agrippinam liberosque qui in urbe remansis-
 sent funeri interfuisse (*Ann.* 3, 2-3), quod partim etiam
 confirmat Martinelli :

nam feretrum muto sequitur defixa dolore, 342
 sex natis circum lugentibus, Agrippina,
 quam vulgus digito signans miseratur euntem.⁴⁶

Animum movent hi versus, eo magis quod matrem triginta
 trium annorum ante oculos habemus, liberos etiam quorum
 maior quatuordecim annos natus, minor ne quidem duos
 numerabat orbis. Offendunt etiam animos illi qui funeri
 adesse quasi recusabant: Germanici mater Antonia fortasse
 (quam commemorare omisit Martinelli), patruus isque
 Imperator Tiberius, avia etiam Livia (*Tac. Ann.* 3, 3). Sunt tales
 mentes ad deterrima quæque spectantes, dissimulationem
 istam præ se ferentes, quales sæpe depingit Tacitus.

Ast ubi tu, Princeps, ubi et ipso Principe maior,
 Livia mater, eras, cineres atque ossa nepotis
 dum populus magno fletu comitatur ad altum
 Augusti tumulum tristi condenda sepulcro, 365
 nec timet indignans absentem dira precari
 et matri et avo? Secretis ædibus illi
 obliquos refovent animis variosque timores
 Cæsare et extincto læti mala gaudia celant.⁴⁷

46. V. 344 : miseratur euntem (= Verg. *Æn.* 6, 476 et Val. Flac. *Arg.* 8, 55).

28 10. ACTUS OCTAVUS (v. 370-393) : DE INEDIA

In conspectu fontium et locorum Martinelli indicat se scripta in encyclopædiis perlegisse « de morte per famem (siti non adiuncta) » (cf. nota 30). Abest autem ut eiusmodi scripta, arida sane atque scientia plena, mentem eius poeticam exsiccant. Quin etiam, afflatu divino quodam permotus esse videtur poeta qui talia nobis de hac morte non nimis celeri pepigerit :

Quodsi sic homini datur ulli excedere vita
 quis dolor in morte est, cur mors metuenda videtur? 380
 Iam non est terræ, sed cæli est incola Drusus,
 nec velit, oblitus terræ, revocarier umquam⁴⁸
 terrenam ad vitam, cui sola est mente superstes.

Utut id est, « æthereum corpus » (v. 389) Drusi quod iam « terrena vincla videtur linqere » (v. 390-391) iam præparatur ad novam patriam quam iuveni reservavit genitor ipse : expectat eum Eleusis (v. 393).⁴⁹

47. V. 364 : comitatur ad altum (cf. Verg. *Æn.* 6, 863 et Ov. *Met.* 4, 484 comitatur euntem) ; v. 369 : mala gaudia (Stat. *Theb.* 1, 229 : mala gaudia matrum).

48. Est is infinitivus passivus valde obsoletus, cui similes adhibent raro Lucretius, rarissime Verg. *Æn.* 8, 493 (*defendier*) atque Iuv. *Sat.* 15, 157 (*defendier*). Ceterum, forma *revocarier* non videtur adhibita esse ab auctoribus antiquis, quamquam apud Plaut. *Capt.* 1024 legitur *vocarier*.

49. De ea forma rarissima, quippe cum apud auctores Latinos sæpius 'Eleusin, -inis' legatur, vide quod scripsit Honoratus In Verg. *Georg.* 1, 163 :

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

11. ACTUS NONUS (V. 394-493) : DE CAMPIS ELEUSINIS

29

Post carceris duros parietes nunc splendent Druso nostro loca
amœna. Liquidus, purusque aer pectora mulcet. Silvæ sunt
virides, lente fluit Ilissus, in cuius gramineis ripis hospitium
mystis præbetur.⁵⁰ Occiduus sol cælum lumine tinguit, atque
undique fulgent faces (v. 394-402). Tunc apparet densa pom-
pa mystarum: lente procedentes omnes velati qui redimiti
sunt temporibus ducem quendam sequuntur, virum gravem
atque sacrorum custodem (v. 404-417). Præconis verba «pro-
cul o procul omnes este profani! / Ore favete» (v. 403-404)
sacra a Vergilio Ovidioque descripta in memoriam revocant.⁵¹

Martinelli nostrum nequaquam carcere quem imponit
metrum hexametricum fuisse impeditum, quis tot versibus
allatis adhuc ignoret? Quod idem valet pro arte eius polyme-
trica: nullo modo dubitat alios inserere numeros ita ut totum
illud epyllium Drusus III aspectum tragoediæ choris insignitæ
præbeat.⁵² En schema, quod quinque constat strophis quæ
alternis versibus glyconeis⁵³ atque asclepiadeo illo minore⁵⁴

Talis est et in Græcis ratio; nam 'actin' et 'actis' dicunt, 'delphin' et 'delphis', 'Eleusin' et
'Eleusis': sed verius in 'n' desinunt, quod in obliquis habent, ut 'actinos, Eleusinos, delphinos'.

50. Hic Atticus fluvius tantum apud auctores Græcos commemoratur, cf.
Pl. Criti. 122a et Hdt. 7, 189.

51. Verg. *Æn.* 5, 71 (*ore favete omnes et cingite tempora ramis*); Ov. *Ib.* 98 (*Quisquis
ades sacris, ore favete, meis*); Verg. *Æn.* 6, 258 (*procul, o procul este, profani*).

52. De Martinelli arte polymetrica, vide Sacré (2019b) 35-36 (etiam in
poemate c.t. *Carmen et Error*).

30 sunt compositæ (v. 418-437), quod schema in carminibus Horatianis non raro adhibetur.⁵⁵ Tres strophas recito has :

Fidentes sacra flumina,
et ripas ad Ilissi undique venimus,
sancta ut Numina debito 420
nobis detur honore et veterum pio
hoc ritu venerarier,
quæ templa hæc habitant et sacra condere hæc
iussere, auxilium bonum
vitæ præsidiumque instabilis novum. 425
Instantes igitur prece
multa oramus, ut his di faveant sacris,
utque hæc omne nefas pient
extrema et retegant quæ interitus ferat.

Est hæc certe visio pæne beatifica, ut scholasticorum verbis utar, quam abrumpit nova quædam descriptio. Fruaris iterum, carissime lector, poeta nostro, dialogorum artifice summo :

Terrifico obtutu prope lectum immobilis adstat
detractum gladium dextra ardentemque coruscans
elata læva tædam feralis Erinys,
quæ tacita in Druso flammantia lumina figit.

53. Schema igitur hoc: – – – vv – vv.

54. Schema igitur hoc: – – – vv – | – vv – vv.

55. In duodecim scilicet odis, quarum notiores sunt Hor. *Carm.* 1, 3 et 1, 13.

Vide F. Villeneuve (1959) lxxx.

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

Ille pium comitem pavidus compellat et anceps : 450 31
 «Cur, bone dux, hæc sic oculis me fixa tuetur?»
 Cui dux: «Ne timeas: mortali hoc contigit omni:
 expectatus ades.» «Quænam ergo hæc? Fare mihi!» «Mors.»
 Tum longum reticet Drusus tacitamque tuetur.
 «Anne necesse?» ducem scitatur. At ille: «Necesse.» 455
 «Ergo hic tam iuuenis, meritus nil tale, iacebo?»
 «Haud etenim fato datur ulli obstare. Necesse est.»
 «Sors misera!» «At quondam fata ad meliora resurges». ⁵⁶

In quibus plura sunt admiranda: spondæi qui horribilem Erinyn annuntiant in versu 448, rhythmus quasi interruptus cum fine monosyllabico versus 453, cæsuræ insolitæ in versibus 455 atque 457, elisiones quæ sunt in versibus 457 et 458, quæ colloquio valde sint adaptatæ.

Suum proprium feretrum nunc somno videt Drusus. Resonat iam funebre carmen, quod quinque strophis Sapphicis incipit, quarum ut dem gustum, tres priores hic exscribo:

Est nihil letum nisi vana imago
 somni et exutæ species figuræ.
 Pulvis est, fies, homo, pulvis: hac es 465
 lege creatus.
 Terra non est hæc homini statuta
 per deos sedes patriumque limen:

56. V. 448: *feralis Erinys* (= Luc. *Bel. Civ.* 10, 59 et Sil. *It. Pun.* 2, 609); v. 449: *flammantia lumina* (Verg. *Georg.* 3, 433: *flammantia lumina torquens*).

32 ultima est illi repetenda origo
 aethere ab alto. 470
 Illa mortalem manet alta sedes,
 corporis cum mens resoluta vinclis
 et carens omni macula superna
 sidera scandet.

Sunt hi versus secundum consuetudines vere classicas compositi, quippe cum singulis strophis una quasi cogitatio exprimitur, fere nullæ sint elisiones, paucissima etiam vocabula monosyllabica in fine admittantur. In adoniis Martinelli non semel finem hexametricum est mutuatus.⁵⁷ Post quinque autem tales strophas Sapphicas poeta noster persequitur viam auctoribus antiquis vix exploratam: septem inserit hendecasyllabos Sapphicos modo stichico, id est sine adonio (v. 483-489),⁵⁸ quos excipit integra quadam stropha Sapphica (v. 490-493).

12. ACTUS DECIMUS (V. 494-548): DE MYRTO CONSUMPTA

Ast etiam in hoc somno dolor inediae Drusi intima viscera rodit, atque in visionibus ipsis imaginibus harum rerum decipitur, quæ famem aliquatenus compescere possint (v. 494-505):

57. V. 466: *lege creatus* (= Ov. Met. 2, 650); v. 470: *aethere ab alto* (= Verg. Æn. 7, 25).

58. Id quod persecutus est Sen. HF 830-874; Pha. 274-324, Antiquitate ad finem vergente Boeth. cons. 2, 6. Vide Nougaret (1963) 103 §288.

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

In morte ipsa iterum rabidus furit ardor edendi⁵⁹ 502 33

Potestne pallida illa myrtus dolores lenire? Avidis dentibus,
quasi sit panis ille longe desideratus, mordet Drusus hunc
fructum qui funus decoravit. En extemplo sentitur effectus:

A felix myrtus vere morientibus affert 511
mortalem requiem!⁶⁰

Denuo eum hortatur Eleusinus dux ne deficiat, utque perstet
in illo itinere ad astra. Cuius custodis monita patrem in Drusi
memoriam revocant:

«Quæ sonat hæc mihi vox? Patris olim hæc dicta fuerunt.
Tun', genitor, nato morienti en sedulus adstas?»
«Ipse adsum, patris mæsti mæstissime nate,
atque adero semper.» «Genitor, me hinc eripe tecum
ad dulcem matrem! Nimis hic me conficit angor.» 520
«Druse, resurge!» ducis tum vox submissa verendi
imperiosa iubet.

59. *Furit ardor edendi* (= Ov. Met. 8, 828). Compares etiam illud *perque avidas fauces incensaque viscera regnat* (Ov. Met. 8, 829) cum illo versu 495 in Druso III: *pristinus exurgens dolor intima viscera rodit*.

60. Myrtus a multis auctoribus antiquis commemoratur, sed nisi omnia me fallunt, effectus ille consopiens evocatur tantum in Aristoph. *Ran.* 330 et Paus. 1, 27, 1, apud quos herba illa cum Dionyso, Iaccho atque Herma coniungitur.

- 34 Utrum autem ille dux, qui primo in versu 411 est commemoratus (*doctum quisque suum comitem ducemque sequentes*) revera pater Germanicus fuerit necne ambigitur. Equidem sic potius sentio, a Druso alucinante imaginem Eleusini cum patre esse commixtam atque Nellum Martinelli imprimis alludere ad illos heroes antiquos qui quidem apud inferos a notis cognatisque suis circumduci dicantur, utputa Ulyssem in *Odysseæ* cantu undevicesimo vel *Æneam* in *Æneidis* cantu sexto. Utut id est, præco nunc indicat mystas, quippe cum mortem sint experti, nunc alteram vitam manere – vitam scilicet veram (v. 524-532). Quod quattuor novis Sapphicis strophis exprimitur, quarum lubet citare ultimas duas :

Quicquid est ortus patiensque finis,
nil nisi est pallens tenuisque imago⁶¹
veri, et ignarum rapit omne vulgus
devius error.

Veri at illius reserat volenti 545
ianuam regni dolor ac soluta
pœna. Spem certam refovens superna
Numina adibo.⁶²

61. *Ov. Her.* 13, 109 : *Sed tua cur nobis pallens occurrit imago.*

62. En iterum thema verum Pascolianum. De vita æterna, de spe etiam Christiana, inter alia agit Pascolius, *Pædagogium* 155-161. Vide Laes (2014) 83-84.

DRUSUS III SIVE DE IUVENTUTE MISERRIMA

13. ACTUS UNDECIMUS (V. 549-558) : ACTUMST

35

Ad vitam ipsam, ad carcerem miserum centurionemque durissimum iterum revocantur lectores. Cuius actus supremi commentationibus exornare vix opus est. Audiamus poetam ipsum :

Conversus stridet cardo tacitumque cubiculum
 Attius ingreditur, dextra cui lumina præfert 550
 ardentis famulus tædæ, lectumque propinquat.
 Immotum Drusi corpus pronumque tuetur,
 tum dura versatque manu attonitisque supinum
 luminibus spectat. «Mirum! tomenta voravit
 pulvini lanamque ... Scelestas heu cingula!» muttit 555
 pectori et intentam captivi inde applicat aurem,
 extremum si quem motum deprendat inertis
 cordis. Dein: «Recte dixisti». «An mortuus?» «Actumst!»⁶³

Crudelissimum illud factum, in versibus 554-555 quod exprimitur, nemo sane ignorabit qui Tacitum perlegerit.⁶⁴

63. En dialogus etiam in fine carminis Pascolii, Iugurtha 130-131 : «Ten mihi sex vixisse dies?» ita servus, et angit : «Durus eras,» inquit «sed durior, Hercule, Roma est».

64. Tac. Ann. 6, 23 : Drusus deinde extinguitur, cum se miserandis alimentis, mandando e cubili tomento, nonum ad diem detinisset.

36 14. CONCLUSIO

In epyllio sive fabula novella cui titulus *Drusus III* verum Pascolii successorem se præbuit Nellus Martinelli, cuius opera non solum ad unguem noverat, verum etiam admirabatur atque in deliciis habebat. Hocce in carmine præsertim Pascolii *Iugurtha* ante oculos poetæ versabatur: dira ista fames et sitis, solitudo, somnia, mors. Resonant autem alia themata vere Pascoliana: desiderium matris, iuventus, vita æterna.

Agitur hæc fabula, sicuti apud Pascolium, temporibus imperii Romani, plus autem quam apud illum magistrum atque exemplum, nobiliores illi qui ad domum familiamque Cæsaris pertinent, primas agunt partes. Est ergo cælum sive tenor totius carminis atrox ac sævitia plenus, quippe cum Tacitum, Senecam, Lucanum redoleat – cui bene convenit epicum illud genus scribendi, verbis scilicet magniloquis, quibus Martinelli non raro utitur. Sæpe describuntur homines vere tragici, ludibria illorum qui sint potentiores, qui frustra cum resistant fato, infortunium suum festinant. Quem aspectum vere tragicum augent etiam dialogi frequentes, necnon chori variis metris lyricis elaborati. Tali ergo opulentia usus – abundantiam dico poetici cordis – Martinelli carminibus longioribus fortasse interdum modum quandam excessit. Iam suo certe tempore carmina eius inter prolixiora numerabantur; magis etiam oppugnat hæc opulentia gustui hodierno.

65. Secundum Sacré (2019b) 17 *Drusus III* est optimum carmen («meesterwerk») poetæ immerito prætermis.

Utut id est, Martinelli Drusum III dignum esse qui pluris æstimetur atque immerito a studiosis esse neglectum hic me sat superque demonstrasse spero.⁶⁵ Est id carmen ditissimum quod summa arte pangendi necnon dolores affectusque humanos describendi lectoris animam non semel commoveat. Nonne ingens hic suppeditat campus illis qui in Musas Latinas recentiores incumbere velint? Editionem dico operum omnium Nelli Martinelli, versione Anglica iuxta posita, commentario etiam instructam qui singulis versibus inventionem elocutionemque exponat necnon carminis cuiuscumque dispositionem enodet? Sic tantum plane demonstrabitur quomodo poetæ illi Latini recentiores non modo ad historiam litterarum pertineant, sed etiam ad cultum civilem totius Europæ. Digni sane qui legantur, avido animo evolvantur, in deliciis habeantur!

37

Bibliographia

Fontes :

N. Martinelli, *Valentinianus II* (Amstelodami, 1950).

N. Martinelli, *Drusus III* (Amstelodami, 1951).

I. Pascolius, *Iugurtha* (Amstelodami, 1897).

I. Pascolius, *Thallusa* (Amstelodami, 1912).

M. Beard, *The Roman Triumph* (Cantabrigiæ Massachusetæ, 2009).

F. Coarelli, *Rome and Environs. An Archæological Guide*. Translated by James J. Clauss and Daniel P. Harmon (Berkeleia, 2007) 77-78.

V.R. Giustiniani, *Neulateinische Dichtung in Italien 1850-1950. Ein unerforschtes Kapitel italienischer Literatur- und Geistesgeschichte* (Tubingæ, 1979).

- 38 C. Laes, 'Giovanni Pascoli's Pædagogium. Romeinse kindertijd in een romantische, nostalgische en christelijke visie', *Kleio. Tijdschrift voor oude talen en antieke cultuur* 43, 2 (2014) 72-91.
- C. Laes, 'Iuvenalianam satiram ultimam quemadmodum suppleverit C. Arrius Nurus', in G. Guldentops, C. Laes, G. Partoens (edd.), *Felici Curiositate. Studies in Latin Literature and Textual Criticism from Antiquity up to the Twentieth Century. In Honour of Rita Beyers* (Turnholti, 2017) 767-780.
- L. Nougaret, *Traité de métrique latine classique* (Lutetiæ Parisiorum, 1963³).
- B. Reitz-Joosse, 'Martinelli, Nello', in *Fascist Latin Texts. Authors* (2022). [<https://flt.hf.uio.no/author/132/>].
- D. Sacré, 'Obitus Nasonis. De dood van Ovidius in een Latijns gedicht (1958) van Nello Martinelli', *Kleio. Tijdschrift voor oude talen en antieke cultuur* 48, 1-2 (2019) 34-50.
- D. Sacré, 'De verbanning van Ovidius uitgeklaard. Nello Martinelli's (1889-1976) gedicht *Carmen et Error*', *Kleio. Tijdschrift voor oude talen en antieke cultuur* 48 (2019) 1-52 [in rete].
- C. Serracino, *The Gateway to Honour. A History of Classics at the University of Malta from 1800 to 1979* (diss. doct. inedita, Valettæ, 2018).
- J. D. Uzzi, *Children in the Visual Arts of Imperial Rome* (Cantabrigiæ, 2005).
- F. Villeneuve, *Horace. Tome I Odes et Épodes. Texte établi et traduit* (Lutetiæ Parisiorum, 1959⁶).